

**De gastritide : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Carol. Fried.  
Eduardus Malin.**

**Contributors**

Malin, Karl Friedrich Eduard.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Form. Theophili Brüschcke, 1819.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ds6vfprm>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
G A S T R I T I D E.

DISSERTATIO

*INAUGURALIS-MEDICA*

Q U A M

RATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU  
ET AUCTORITATE

I N

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

P R O S U M M I S

M E D I C I N A E T C H I R U R G I A H O N O R I B U S  
L E G I T I M E I M P E T R A N D I S  
P U B L I C E D E F E N D E T

A U C T O R

*AROL. FRIED. EDUARDUS MALIN*

LUBBENAVIA LUSATUS.

DIE XIV. M. APRIL. A. MDCCCXVIII.

---

BEROLINI.

F O R M I S T H E O P H I L I B R Ü S C H C K E.

H A S C E

S T U D I O R U M P R I M I T I A S

P I A N G R A T A Q U E M E N T E

W I L J A M L E E L

D. D. D.

F I L I U S

## Prooemium.

Qualecunque morborum genus, in therapia speciali adrumbratum animo attento perlustraverim, doctrina tamen de inflammationibus p[re]ae aliis diligenter et feliciter exposita mihi usque visa est. Pars quaedam inflammata audit si continuum impetum sanguinis cum functionibus laesis observamus. Attamen quivis sanguinis impetus appellari inflammatio nequit, eumique a congestione distinguere oportet. Ad externas inflammationis genuinas notas pertinent: rubor insolitus, dolor modo lancinans modo obtusus, nullo modo autem intermittens, denique tumor. Omnes inflammationes, secundum earum gradum febris modo vehementior modo lenior cum excretionibus et secretionibus alteratis comitatur. Facillima igitur inflammationis partis externe est Diagnosis; quae quidem notae in interna inflammatione fere omnes percipi nequeunt. Hic praep[ar]imis confidendum est dolore fixo, interno aestu, functione partis laesa ac febre.

Inter se differunt vero diverso modo inflam-  
mationes, tum si partem affectam adspiciamus,  
tum naturam earum proportionam. Exinde divisio  
exstitit in externas et internas, in synochicas ere-  
thicas et typhosas; prout vel primarium sistunt  
morbum, vel ab alio secundario pendent; in pri-  
marias et secundarias in benignas vel malignas, et  
si cursum earum respiciamus: vel acutas vel chro-  
nicas etc. Denique vero pro ipsius inflammationis  
sede vel erysipelatodes vel phlegmonodes sunt.

Nulli fere alii morbo medicus exactus et pru-  
dens aequo bono celerique successu mederi potest,  
ac inflammationibus, quae quidem neglectae, aliis  
morbis celerius etiam necant.

Omnium vero inflammationum praे aliis, ga-  
stritidem explicare, mibi arridet, quoniam ista,  
organon maximopere nobile, quod cum multis  
aliis visceribus intimo gaudet consensu, afficit; —  
et saepenumero morbos, difficillime curandos,  
relinquit, si forma chronicā, interdum vel medi-  
cum haud ineptum fugiente, existens, negligitur.

## D i a g n o s i s.

---

Gastritis modo facile modo vero difficulter dig-  
noscitur. Symptomata, quae praecipue adsunt e  
functione ventriculi vel impedita vel suppressa  
existunt. Signa praecipua: Febris acuta vehemen-  
tissima, quam rigor antecessit, dolores fixi, vel  
altius paullo in praecordiis, vel paullo magis sinis-  
trorum percipiuntur. Hi dolores saepe atroces et  
lancinantes, tactu, respiratione et tussi augentur,  
et praecipue praecordia nec levissimum quidem  
tactum ferunt, tensa simul sunt et calidissima.  
Ventriculus nec cibum, nec potum, nec medica-  
mina, nequidem blandissima sumere aut retinere  
potest, sed subito rejicit. Faciem, qua summa in-  
terna anxietas depingitur, pallidissimam extre-  
mitates miro semper rigore affectas videmus.

Haec signa praeterea cum aliis symptomatibus, praeprimis spasticis consociata sunt; nam motus iste antiperistalticus, quo stomachus convellitur, alia etiam organa corripit. — Quod genus: dolores sunt colici vehementes, anxietas maxima, sitis ardentissima, gula et oesophagus spastice contracti, ischuria, tenesmus, trismus, animi deliquia, aetus internus intestinorum cum pulsibus frequentissimis, celerrimis modo duris, modo vero parvis et irregularibus.

Descripta etiam ab Autoribus est gastritis occulta, quae modo post mortem possit dignosci e. g. in typho et in aliis morbis magni momenti, in quibus ob magnam affectionem universalem malum minus inflammatio localis medicum fugit nonnunquam haud ignarum.

### D i v i s i o .

Nonnulli Auctores e. g. P. Frank distinguunt ipsam inflammationem secundum gradum locum, et febrem comitantem. Frequens enim cadaverum perlustratio docuit: ventriculum vel totum, vel ex parte, nunc profunda satis et phlegmonosa inflammatione, nunc vero superficiali ac erysipelacea phlegosi laborare. Dividit deinde gastritidem in primariam et secundariam, quae quidem plerumque erysipelacea et occulta morborum sub fine nonnunquam accedit. In gastritide phlegmonosa

horrorem cum subsequenti aestu observamus, febris est inflammatoria, omnia jam prius signa allata adsunt; vomituritio illa vel liquoris aquosi, vel aeruginosae bilis cum intolerabili dolore. Alvus saepius pertinaciter obstructa, vigiliae, jactatio, dispnoea, facies collapsa; cum extremitatum frigore, summa virium prostratione, nonnunquam etiam signa icteritia inveniuntur, respirations celerrimae, spasmis interceptae vox debilis et clangosa.

Iu*gast* rsitide vero erysipelatosa febris natu*ram* inflammatoriam non induit et morbus plerumque, erysipelate vel alio exanthemate ab externis corporis partibus evanescente, insurgit, aut febrem nervosam vel gastricam praecedentem sequitur.

Quanquam vero medicorum libri haec statuerunt, differentia tamen certa non liquet, quae difficultas vero in morbo curando damnum nullum affert, quia sim ilis fere medela requiritur.

Differentia ab aliis morbis Morbi quibuscum confundi potest gastritis sunt:

1) **Cholorea.** Haec vero rarer et fere semper autumnalis morbus, et cum vomituritionibus statim alvi excretiones creberrimae adsunt. Copiosior hic vomitus urget, ardor in ventriculo non aequo magnus et febris deest.

2) **Cardialgia.** Tum febris, tum sitis majoris, tum signorum inflammationis ab sentia, denique medicamina, praincipue antispasmodica po-

tumque satis mitem assumendi potestate a gastritide differt.

3) **Vomitus epilepticus.** Febris et sitis desunt, urina pâllida, et jâm ex aegroti constitutione et antecedentibus, an epilepticus sit, concludere possumus. Praeterea morbi **decursus**, quam unquam gastritidis longior est.

4) **Turgescentia biliosa cum gastrodynia** febrique gastrica complicata. Dignoscitur tamen ex signis certis sordium sursus turgescentium et ex levamine, quod evacuationem excipit. Potulenta, praecipue acidula vomitu non rejiciuntur.

5) **Rheumatismus muscularum epigastrii acutus cum febre inflammatoria.** In hoc stomachi functiones haud tantopere annt laesae, tumor magis circumscriptus et calens, adest, nec quaecunque sumserit aeger, iterum evomit; morbus mitiora longe quam gastritis symptomata offert.

6) **Diaphragmitis, hepatitis, enteritis** In diaphragmitide dolor transverse epigastrium et abdomen constringens, respiratio usque intercepta, et muscularum faciei convulsiones adsunt. Ab hepatitis et enteritide facilius distinguitur, quoniam illa plerumque signis icteritiis, doloribus scapulae, brâchii et regionis hypochondriacae dextrae; — haec vero inflatione abdominis dolentissima et ischuria perpetua juncta est.

## Cause.

Omnes causae, quae alias inflammations, gastridem etiam inducere valent. Excepta constitutione aëris omnipotenti huc recensendae sunt: refrigerationes, praeprimis pedum, et omnia quae systema ventriculi vasculosum incitant, res deglutitae, tum vi mechanica, tum chemica ventriculum stimulantes et erodentes; — ut vitrum, acida mineralia, venena corrosiva, imprimis Hydrarg: mur. corros: Arsenicum, emetica fortiora, cathartica, fungi, vegetabilia acria, ut hellebor. alb. et niger, cicuta, aconit etc.; potus glaciatus et glacies ipsa, cibus calidissimus, et plura alia. Dein vero etiam antagonismo et metastasi gastritis oriri potest, talis ex mensibus et haemorrhoidibus suppressis, contagio varioloso et morbilloso et quavis psorica acrimonia oritur. Acre quocunque, vel in stomacho ipso, vel in alia corporis parte generatum, et ad illum depositum; quo spectant: bilis acris et degenerata, acre arthriticum a qualibet corporis parte ad ventriculum aberrans gastridem non rarissime provocant. Tandem sunt adnummerandae causae mechanicae. ut: herniae, contusiones, vulnera etc.

## Prognosis.

Maxima, hunc morbum naturae ventriculi sensibilis et cum universo corpore consentientis

causa, pericula premunt; qua re nonnunquam celeri morte rapiuntur aegroti, vel convulsionibus, vel apoplexia; Saepius tamen morbo per paucos dies protracto sectio defuncti membranarum ventriculi gangraenam medico offerre solet. Periculum pendet: a gradu, sede, febre comitanti, constitutione et a causa occasionali. Gastritis venenis sumptis et podagra retrogressa orta, in subjectis jam provectionis aetatis celerrime decurrit; ut aegroti spatio viginti quatuor horarum praeterlapsso et prius diem supremum interdum obeant, ubi causae autem minoris momenti subsunt, per tres, sex ad octo dies perdurat morbus.

### Exitus.

Ventriculi inflammatio modo in suppurationem scirrum et gangraenam abit.

**R**esolutio. Quamquam hic exitus fere est rarissimus, eum tamen ex spectamus, si causae minoris momenti antecesserunt, et si morbum jam ab initio dignovimus; porro, si methodo antiphlogistica adhibita pulsus sit minus frequens et arteriae magis dilatantur, et omnia alia graviora symptomata cum extensive, tum intensive remittunt. Præprimis bonum signum esse dicitur, si portio deglutiti potus retineri potest, et alvus sponte reseratur. Praeterea etiam sudores, urina, imprimis

vero alvi excretiones, criticae benignius de morbo iudicium admittunt.

**Suppuratio.** Abitum gastritidis in suppurationem, partim ex decursu febris longiori, ex doloribus magis prementibus et remitteutibus, ex maxima anxietate cum nausea, ex ponderis ad praecordia sensu, denique ex communibus internarum suppurationum signis dignoscimus.

Vomica nunc in ventriculi cavum rumpitur, et pus vel vomitu vel alvi excretionibus ejicitur; — oritur exinde phthisis ventriculi vel intestinalis, quae aegrotum brevi tempore necat. Si vero ventriculus inflammatus cum vicinis organis concrevit, praecipue cum colo transverso et peritonaeo non-nunquam pus sacco quodam peritonaei prope ventriculum colligitur. Hoc modo praecordiorum inflatio cum doloribus rodentibus oritur, hydropem saccatum aemulans, animi deliquia aliaque symptomata nervosa accedunt, tabe denique aeger consumitur.

Si vero abcessus in abdominis cavam rumpitus, ascites purulentus et mors certa cum doloribus atrocissimis et convulsionibus sequuntur.

**Indurations:** Exsudationes et ventriculi membranarum crassities et indurations non infrequentes oriuntur. Indurations prope cardiam et pylorum imprimis magni momenti, ab initio dif-

ficillime diagnosis percipiuntur. Eas tamen adesse statuimus, Si stomachus inflatus esse solet, tensus et turgidus; postquam aeger cibos sumserit si angores cum praecordiorum dolore ingravescunt, ructus sequuntur acidi et vomitus aquosi. Quo facto levamen aliquod percipitur, donec iterum cibi assumuntur. Quo celerius post cibos sumptos vomitus oritur, eo propius cardiae sita est induratio.

Praeterea aeger ingentem totius corporis lassitudinem queritur, animus marcit, et spei expers est, facies pallet et livet; — dolores per totum abdomen, per dorsum et artus superiores, singultus et dolentissima vomituritio aegruum cruciant etc. Laxato abdome, si aeger supinus cubat, indurationes tactu percipi digitisque huc et illuc moveri possunt. Macies nunc cum febre hectica oritur, unguis curvantur, membra tumefiunt, aeger esurie, animi despensione torquetur, et mors vitae miserrimae finem imponit.

Nonnunquam tunicae ventriculi internae inter se concrescunt et saccos quasi formant.

**Gangraena.** Gangraenam adesse, statuere licet si: Vomitus et dolores desinunt, aegri se bene valere dicunt, extremitates frigescunt, sudores intrant frigidi, vultus passionem indicans, collapsus faciei et oculorum, faciesque tota representatur hippocratica, quae signa si adsunt inox placida morte brevi aegroti vitae miserrimae finis imponitur.

In Defuncrorum cadaveribus lividae maculae, tum in cute, tum in ventriculi tunicis aliisque visceribus inveniuntur.

### C u r a .

Indicatio prima, causas remotas jubet percontari, easque tollere. Quod genus erit cura febris inflammatoriae, si qua inflammationem excitavit, si incitamenta sive externe sive interne ventriculo applicata, venena et alia ansam dederint gastritidi, ista cum mitiganda, tum removenda sunt. Huc vero plerumque medela nostra tunc modo aliquid praestabit, si satis mature advocati sumus. Pro natura incitamentorum cura varia erit; — Si venena hausta sunt corrosiva, ut arsenic: saponis solutio, natron et kali carbonicum solutum, olea pinguia, mucilaginosa, potus calidi porrigantur etc. Summopere, quamquam imprimis in morbis secundariis hepar sulphur. alcalin: fini nostro respondet.

Si acria vegetabilia, q. g. cicuta, helleborus sumpta sunt — extemplo emeticum magna dosi porringtonum est; dein oleosa, lactea, — coffea et alia laudantur. Bilis acris, qua ventriculus correditur, ingesta si inflammationem ventriculi excitarint, emetico quam celeri me eliminanda sunt, et si morbus jam majorem gradum attigit, mucilaginosa

et oleosa commode porrigitur. Ceterum inflammatio secundum ejus naturam curatur. Si morbis quibusdam suppressis orta est gastritis, illi reducendi sunt hirudinibus vesicatoriis, inunctionibus acribus, frictionibus, balneis, interne volatilibus, diaphoreticis uti camphora, ammonii praeparatis; aut loco eorum antagonistice alia secretiones sunt provocandae.

Indicatio secunda, proximam gastritidis causam respicit, ideo adhibenda est methodus anti-phlogistica, et omnium imprimis venaesectio est instituenda; (Quam tantum abest ut pulsus parvus contractus contraindicet, ut potius eam jubeat,) — Ad regionem epigastrii venaesectiones locales ope hirudinum et cucurbitularum instituendae, infractiones linimentorum volatilium, q. g. liniment: ammon: camphor: c. opio, clysmata emollientia, et si sensibilitas aucta admittit, fomentationes ex herbis aromaticis cum herb: hyosc. et cicuta sunt applicandae Venaesectione facta, vesicantia a multis imponuntur, donec cutis rubefacta sit.

Quod ad remedia interna attinet — cura difficultis est, quia aeger quaecumque hauserit — eyomit; Sitis vero quia tam ardenter vexat, ut aeger continuo bibere coactus sit; porrighndae sunt parvae doses potum emollientium: Decoc: ex rad: Althaeae, Sago, Salep etc. P. Frank emulsionem lauda-

laudat e Gumm: arabic: cum duplo aq. fontan: mixtari. Vomitus si hisce lenibus tamen augetur clysmatibus corpus nutriendum est. Num in gastrite cum typho complicata venaesectio sit instituenda discrepat autorum sententia. — Ego quidem puto, quamvis venaesectio universalis forsan non sit indicata locales tamen sanguinis missiones semper magno commodo fore. Huc etiam adhibenda sunt clysmata ex decoct: Chinae cum camphora, externe cucurbitulae siccae et vesicantia.

### Morborum, in quos exit gastritis curatio.

Si inflammatio transierit in suppurationem, naturae vis medicatrix plurima praestat. Medico nil restat, nisi hunc processum adjuvare. Si accessus ad externas partes prodierit aperiendus est ex lege, quam Chirurgia praescribet. Simul emollientes, nutrientes et qui humores corrigunt, porriganter potus, q. g. Decoct: orizae, althaeae, avenae, liquoritiae etc. imprimis vero lactea — et vitellum ovorum laudata sunt. Si omnis febris et inflammatio evanuerint, balsamica lenia, uti Extract: myrrh: aquos; c. mell: in aqua solutum, — aqua calcis c. lacte, juscula carnis adhibenda sunt. Si vomica rupta in abdominis cavum sese effudit — unde ascites purulentus oritur, medela<sup>e</sup> nullus locus relictus est. — Indurationes

raro a medico superantur — ideo plerumque cura indicata est palliativa, qua continetur praecipue gas carbonicum: (potio Riveri, Pulv: aeropher: aquae mineraliae etc. Praeterea etiam medicamina sunt laudata ad resolvendas indurations, q. g. Digitalis, Cicuta, Belladonna, Aconitum, Aq. laurocerasi et plura alia.

Palliativa methodo et nutrientibus quae facile digeruntur, mitissimis blandissimisque per spatium temporis vita aegri misera adhuc trahitur. Serius ejus mortis imaginem jam supra depictam aegrotus nobis offert.

Alii morbi secundarii ut Gastrodynia, Cardialgia, Hypochondria, vomitus chronicus et alia propriam sibi curam poscunt.

---

VITAE CURRICULUM  
EX DECRETO  
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE  
BEROLINENSIS  
ADJECTUM.

---

Ego Carolus Friedericus Eduardus Malin natus sum ad XIX Julii anni MDCCCLXXXVII Lubbenaviae Lusatiae inferioris urbe. Parentes ambos, patrem Chirurgum urbis, matremque e gente Bie-

gott superstites Deus maximus mihi servavit, quos ad ultimum vitae terminum pio animo venerabor. Anno aetatis meae decimo Gymnasium Luccaviense frequentabam ad annum usque decimum quintum. Dein semestri aestivo anno MDCCCXII in Collegio medico chirurgico, quod Dresdae floret praelectionibus celeb: Tobiae in anatomiam et physiologiam sicuti praelectionibus chirurgicis Celeb: Ohle operam dabam: et auspiciis D. Pech cadavera dissecabam. Cum anno vero subsequente Dresda bello fere devastaretur Berolinum me contuli et anno MDCCCXIV mense Ianuarii Chirurgi nosocomialis officia suscepi. Gloriose finito bello MDCCCXV ut regaveram, dimissus; semestri aestivo a MDCCCVI Lipsiam migravi, ibique civibus universitatis, Rosenmüller, t. t. rectore magnifico adscriptus sum. Logicas et metaphysicas scholas Platneri, zoologicas, botanicas, Sehwaegricheni frequentavi. Physicen et chemiam Gilbertus me docuit. anatomicis lectionibus et demonstrationibus Rosenmüller interfui. Pathologiam Platnerus et Pucheltus, materiam medicam Haaseus et pharmacologiam Eschenbachius me docuerunt. Annis abhinc fere duobus praeterlapsis Dresdae exercitationes clinicas dirigente Kreysig auscultabam.

Anno MDCCCXVIII semestri aestivo Berolinum veni, et a Venerando Marheinecke t. t. rectore magnifico in album civium academicorum sum

relatus. Illustres et celeberrimos viros, Hufelandium de institutionibus medicis, Hornium de pathologia speciali, Formey de inflammationibus, Klugium de morbis ossium mechanicis audivi. Praeteracto semestre scholae Clinicae Illustr: Hufelandii interfui et sub auspiciis illustrium virorum Rudolphi et Knape cadavera dissecui.

Therapiam specialem III. Horn et cursum operationum III. Mursinna me docuerunt.

Peracto tantamine et examine rigoroso, spero nihil fore obfuturum quominus disputatione more antiquo habita summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

---

## THESES DEFENDENDAE.

---

### I.

Vulnera ventriculi non sunt absolute lethalia.

### II.

Materia critica morbi hujus est solummodo effectus.

### III.

Hypochondriasis et hysteria unus idemque est morbus.

### IV.

Febris neutrius generis non existit.

---